

est, quoniam facilius ille iuxta litem possessionis suae potuerit caedem facere quam Milo in alienis regionibus deprehensus; cumque hora undecima dicat eum profectionem coepisse, magis derivabitur in suspicionem insidiarum, 5 quando eo tempore proficisci coeperit, quo alii ad destinatum locum pervenire consuerunt, die paene finito.

Hora fere undecima aut non multo secus.

§ 29.

... ov fecit ipsa addubitatione, quod non undecimam horam quasi pro certo dixit adseveranter; nam hoc ad- 10 ditamentum *aut non multo secus* verisimilitudini plurimum dedit.

Statim complures in hunc faciunt de loco superiore impetum.

Pars haec narrationis aliquanto turbatior est; sine 15 dubio in ea multa finguntur, verum hanc omnem confusissimam permixtionem cursim praetervolat: non enim debent cum mora protrahi, quae videri iudicibus possunt aliquod habere figmentum, ne orator, si lacinosus sit, in mendacio deprehendatur.

20 Adgressi raedarium occidunt.

Quos nunc vulgo muliones dicimus, eos scilicet, qui iumenta vehiculis subiuncta moderantur et regunt, eos veteres, ut animadvertis, raedarios dicebant, muliones autem proprie eos, qui negotiationem lucri sui causa in 25 huiusmodi iumentis exercebant. Quamvis et in Filippicis mulionem Ventidium dixerit eapropter, quod de publico redemerat iumentorum praebitionem, quae esset apud exercitum necessaria.